



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

6 Baptismum non vitiat quaecunque verborum formæ inuitatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XXIII.

Ex conf. 2. in Novis, deest in antiquis.

Quia congruit accessorium sequi naturam sui principalis, c. accessorium, de reg. iur. in 6. sicut dispensatio in utroque facienda, & maior viginti annis dispensatio ad dignitatem potest esse iudex delegatus, si habeat viginti annos, licet ad illud non sit specialiter dispensatus, ex Dom. in ca. nos consuetudinem, dist. 1. ita etiam, & sub diaconus dispensatus a Papa ut uxorem ducat, ducta illa, a recitatione horarum dispensatus censetur.

TITVLVS XXXIV.

De baptisimo, & eius effectu.

SVMMA RIVM.

- 1 Baptisimus nondum integre nati verus est, licet sub conditione ad cautelam baptizari possit.
- 2 Baptizatus sine solemnitate solita, in sacro sepeliri debet.
- 3 Cognationem spirituales non contrahit non baptizatus baptizans.
- 4 Catechizandi nulla lege ad baptismum suscipiendum obligantur.
- 5 Monstrum illud baptizandum non est, quod caret anima rationali.
- 6 Baptisimus non vitiat quaecumque verborum forma inuitatio.
- 7 Baptizandus non est rationis capax, qui vult in peccato, vel infidelitate perseverare.
- 8 Innocentes pro Christo occisi, per gratiam Christi, salui facti sunt, & martyres effecti.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 2.

Infans nondum integre natus, & propter timorem mortis baptizatus per abluionem capitis, vel alterius partis iam nate, vel extra corpus matris apparentis, vere est baptizatus: qui licet ad cautelam sub conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo, licite baptizari possit; secundum tamen meo baptisimo, vere baptisimus non est; Nec ex baptisimo secundo sic ad cautelam cum catechismo, & exorcismo naturae competentis, aut cognatio spiritualis, quae matrimonium impedit, & dirimit, ut sine Papae dispensatione cum matre sic baptizati matrimonium contrahere possit; quamuis secus de baptisimo priori sine catechismo & exorcismo ministrato, ex quo talis cognatio spiritualis oritur, sentiendum sit.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 3. de sepul.

Cum omnis Christianus in loco sacro sepeliri debeat Arg. cap. ecclesiam de consec. d. 1. & tototit. de sepul. etiam infans rite intra, vel extra ecclesiam in necessitate si ne solemnitate solita baptizatus, & moriens antequam suppleatur, in ecclesia, vel in cimiterio cum cruce, & alijs solitis adhiberi sepulturae infantis solemniter baptizati, iuste sepeliri potest; ita Ostiensis in summa de conse. eccel. s. cum autem sit, cum certum sit talem baptizatum esse, & characterem christianismi insignitum, e. quemadmodum, 37. qu. 7. & gratiam sacramentalem aequae, ac si cum solemnitate baptizatus esset accepisse, cum sola sacramenta, & non sacramentalia gratiam ex opere operato conferant. ex DD. 4. dist. 1.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 1. de cognat. spiritualis.

Quamuis nondum baptizatus alterum baptizatio cognationem spirituales non contrahat; ex S. Th. 4. d. 42. q. 1. art. 3. sicut nondum habens vitam carnalem, cognatus alterius carnaliter esse non potest baptizatus tamen nec dum confirmatus tenens confirmandum, cognationem spirituales cum eo contrahit, ex Sil. ver. matrimonium, 8. q. 7. eo quod vitam ipse spirituales iam habet.

tus alterius carnaliter esse non potest baptizatus tamen nec dum confirmatus tenens confirmandum, cognationem spirituales cum eo contrahit, ex Sil. ver. matrimonium, 8. q. 7. eo quod vitam ipse spirituales iam habet.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 1.

Sicut catechizandi ad baptizandum se offerentes, coram notario & testibus ad baptismum suscipiendum obligare se non tenentur, ita neque episcopus, aut parochus catechumenos, dum in fide instruantur, alere lege aliqua cogi poterit, quamuis infantibus, inuitis parentibus, & cognatis baptismum petentibus, de alimentis providendum sit.

DECISIO V.

Ex conf. 30. in Novis, deest in antiquis.

Monstrum illud baptizandum non est, quod anima rationali caret, sine qua non est homo, qui solus capax est baptismi: in quadam, de celebr. Miss. an autem talis sit qui cum capite ferino, & reliquis membris humanis nascitur, iudicio petitorum relinquatur.

DECISIO VI.

Ex conf. 4. in Novis est conf. 3. de claud. desponsat. dub. 4. in antiq. sed quia huc titulo conuenit, rectius hic ponitur.

Baptisimus non vitiat diuersitas verborum, modo actum baptizandi, & causam principalem, scilicet sanctissimam Trinitatem distincte exprimat, sine omissione alicuius personae, sicut nec vitatur ex eo quod ab haeretico iudaeo vel pagano cum debita intentione faciendi quod factum est ecclesia, & multo minus si in forma Graecorum conferatur, secus autem si aliqua trinum personarum Trinitatis omitatur, aut aliqua mutatio essentialis in illis ad fouendum errorem fiat, prout Bolnenses faciunt, qui loco illius dictionis vnice Spiritus sancti, hanc Spiritus, omittunt alia particula Sancti ponunt; Quandoquidem dicto Spiritus sine additione verbi Sanctus, nec nomen est proprium Spiritus sancti, nec Spiritui sancto appropriatum, sed omnibus personis competit, Nam & pater, & filius est Spiritus, & Sanctus ita S. Th. 1. par. q. 36. art. 1.

DECISIO VII.

Ex conf. 5. in Novis, est conf. 3. de claud. desponsat. dub. 12. in antiq. sed quia materia illius huc titulo conuenit, hoc in loco appositum.

Baptizandus non est rationis capax, qui in peccato, vel infidelitate perseverare vult, si tamen baptizetur, habeatque intentionem illud recipiendi, verum baptismum recipit, ex S. Th. 3. p. q. 68. art. 4. & ar. 8. ad 4. Turca: um vero aut aliorum infidelium filij vsu rationis carentes, quos parentes, penes quos remansuri sunt, ob id baptizari petunt, ut sic ab aliqua infirmitate liberentur, baptizandi sunt, sicut & adulti, qui ideo excitantur ut baptizentur, quia exinde corporis sanitatem recipere sperant.

DECISIO VIII.

Ex conf. 6. in Novis, deest in antiquis.

Sicut Innocentes pro Christo occisi, quamuis non proprio merito, cum vsu rationis carerent, per gratiam tamen Christi, salui facti fuerunt, & martyrij laureolam adepti, sunt ex S. Th. 2. 2. q. 124. art. 1. ita etiam, & martyrium a praegnanate pro Christo assumptum, fetui animato pro baptismum ad salutem prodest, & is, sicut Innocentes, dicitur pro Christo occisus, quando intentio occidentis matrem pro Christo, etiam saltem virtualiter in filij nondum nati occisionem,

TITVLVS XXXV.

De reliquijs, & veneratione sanctorum.

SVMMA RIVM.

- 1 Reliquias martyrum extrahens, aut veniales exponens, grauiter peccat.

H 3 Reli-